Copyright: Admont, Benediktinerstift

eorum quos suos cives recognoscunt. adhuc sol
lempnitatis spectaculum conveniunt. Cuncti
senes ex isrt veniunt, cum sancti patriarche, prophete
et apostoli. qui cum Christo iudice in iudicio assident.
ipsi peracto iudicio. in celestem ierusalem ingredien
tium primi et proximi omnium electorum hominum
adherent. Sacerdotes archam tollunt, cum
ut ipsi sancti angeli. qui sacrum ducatum homini
bus prestant. vel sancti prophete patriarche et apostoli qui
omnium fidelium exercitum gubernant. cum omni
electorum multitudine redemptorem suum pro huma
ni generis redemptione. et pro antiqui hostis deiec
tione. peracta iudicii equitate. eternis laudibus at
tollunt. Sacerdotes archam domini portant, cum
sancti angeli. ut electorum hominum primi patriarche
prophete et apostoli. incarnatam dei sapientiam eternis
preconiis concelebrant. Sacerdotes tabernacu
lum federis portant, cum sancti angeli ecclesiam dei in qua
fedus perpetue pacis consistit. in celestis regni
habitationem deportant. Sacerdotes omnia
vasa sanctuarii que erant in tabernaculo domini por
tant, cum sancti angeli. omnes fideles et electos. qui
se ministerio celestis sanctuarii in terris pie et conti
nenter vivendo dedicaverant. in celestes mansi
ones transferendo coronant. Ferunt ea sacer
dotes et levite, quia ut sancti angeli. qui electos
domini in hac vita procurabant, ut boni prelati. ad
ministerium dei et ecclesie divinitus assumpti, qui fide
les subditos fideliter hic gubernabant, suo eos
illic creatori et redemptori coronandos as
signant. SEQUITUR.

Rex autem salemon. et omnis multitudo
isrt que convenerat ad eum. gradiebatur
cum illo ante archam, et immolabant oves et
boves absque estimatione et numero. Et intu
lerunt sacerdotes archam federis domini in locum
suum. in oraculum templi. in sanctum sanctorum. subter
alas cherubim. Siquidem cherubim exten
debant alas super locum arche, et protegebant
archam. et vectes eius desuper. Eminebant
vectes. et apparebant summitates eorum foris sanctua
rium ante oraculum, non apparebant ultra
extrinsecus. Qui et fuerunt ibi usque in presentem diem.
In archa autem non est aliud. nisi due tabule lapi
dee, quas posuerat in ea moyses in oreb.
quando pepigit fedus dominus cum filiis isrt,
cum egrederentur de terra egypti.

Rex salemon ante archam graditur,
cum filius dei ab initio seculi diversis et
innumeris prefigurationibus sacramentum
sue incarnationis mundo prestat. Omnis
multitudo isrt que ad eum convenerat. cum
illo graditur, cum omnis fidelium populus. qui il
lum fide et dilectione ab inicio seculi colebat.
eius incarnationi testimonium perhibebat.
Oves et boves absque estimatione et numero
immolant, cum in ovibus et bubus illius sacrifi
cium prefigurant, cuius generatio divina simul
et humana estimationem non habet. quia in
vestigari non valet, numerum non habet. quia fine
caret. Sacerdotes archam federis domini in locum
suum inferunt, cum sancti patriarche et prophete
mysterium incarnationis Christi mundo os
tendunt. In oraculum templi archam inferunt,
dum ipsum verum mundi propiciatorem futurum
predicunt. In sanctum sanctorum eam ingerunt, dv
Christum sanctum sanctorum omnium ce. credendo et lo
quendo astruunt. Subter alas cherubim
archam inferunt, dum omnem veteris testamenti
prefigurationem. incarnationi filii dei opten
dunt. Siquide cherubin extendebant
alas super locum arche, et protegebant archa
et vectes eius desuper. Cherubim alas super
locum arche extendunt, dum veteris testa
menti littere. sacramenta filii dei in se pretendit.
Archam et vectes eius desuper protegunt, cum
scripta veteris testamenti. humanitatem filii dei
et eius sacramenta. sub allegorie eminentia
in se contegunt. Cumque eminerent vectes.
et apparerent summitates eorum foris ante